



## SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

---

<https://www.facebook.com/groups/latinasodalitas/>  
joannescarolusrossi@fastwebnet.it  
luca.gandolfi1@studenti.unimi.it

---

### **Ordo rerum in annum MMXVI a sodalibus latinis in Venerandis Aedibus Ambrosianis agendarum**

---

**Ante diem V Idus Martias**

---

Publii Ovidii Nasonis elegiam III de ipsius exsilio, e primo *Tristium* libro decerptam, recitat Joannes Carolus Rossi, Claudia Brambilla praelegit; tum Tyrtarienses eandem elegiam, vocum sonis descriptam, canentes auscultamus, ac demum commenticiam Ovidii percontationem legimus, e qua elucet cur recentiores eum *nostalgiae* poetam appellarint.

*Sodales his locis adhibitis exercentur juxta artis rhetoricae praecepta: per synonymiam, paraphrasim, ampliationem, compendium, syntaxeos demutationem, variationes, cetera.*

---

---

Publii Ovidii Nasonis

*Percontatio impossibilis*<sup>1</sup>

JOVIANUS ERYTHRAEUS. Salvus sis, Publi Ovidi Naso! Respondebis ad ea quae rogaro?

PUBLIUS OVIDIO NASO. *Et tu salve multum. Roga sane quicquid libuerit.*

J.E. Haud semel te ipse tenerorum lusorem amorem<sup>2</sup> appellasti; nos vero an sis potius nostalgiae poeta dubitamus.

P.O.N. *Nostalgia? Equidem non intellego quid sibi velit vox ista.*

J.E. Nimirum quod vocabulum hoc est tibi ignotum. Nam prope mille et sescentis annis post Augusti aetatem in usum inductum est. Primus id excogitavit medicus quidam Helvetius,<sup>3</sup> ad aegritudinem significandam militum qui longe a Patria militabant.

P.O.N. *Nunc vero nostalgia quid sit teneo: conflatur ex vocabulis Graecis nostos, hoc est reditus, et algos, hoc est dolor; est videlicet quoddam desiderium Pa-*

---

<sup>1</sup> Hoc colloquium anno MCMIC compositum est, ut in spectaculo televisifico c. t. AMORROMA adiberentur.

<sup>2</sup> Cfr *Tristia* IV, 10, 1, qua elegia vitam suam narrat; etiam Tr. III, 3, distich. 36 et 37, quibus versibus epitaphium suum fingit:

Hic ego qui jaceo, tenerorum lusor amorum,  
Ingenio perii, Naso Poeta, meo.  
At tibi qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,  
Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.

<sup>3</sup> Johannes Hofer (1669-1752) Alsatianus anno 1688 Dissertatione medica de nostalgia in Atheneo Basilaensi aegritudinem tractavit, qua milites mercennarii extorres affici videbantur. Etsi ille aliis verbis novis, ad talem morbum significandum, usus est - nostomania, philopatridomania- vocabulum nostalgiae tamen in usum mox receptum est ac latissime divulgatum. Memoriae proditum est Milites Helvetios, ne inciderent in nostalgiam, inter se hortari solere, dicentes: "Qui patriam quaerit, mortem invenit".

*triae, quo exsules vel peregrini excruciantur. Quae quum ita sint, poeta nostalgiae appellari queo.*

J.E. Quae fuit tua urbs patria?

P.O.N. *'Sulmo mihi patriast, gelidis uberrimus undis, / Milia qui novies distat ab Urbe decem'.<sup>4</sup> Sic ipse quondam, vitam meam repetens, cecini; sed praeter urbem patriam, ubi degebat gens mea Peligni, altera fuit mihi patria, in qua grammaticam et iurisprudentiam, patre iubente, primum didici, deinde causas in foro oravi, tum, fori pertaesus, Musas excolui atque non minus publicis quam domesticis gaudiis diu sum fructus: Roma, inquam, ex qua fugi victus et exsul, ut aeger lassusque in extremis populis iacerem...*

J.E. Profecto et *Tristia* tua et *Epistolae ex Ponto* nostalgia fere contextae esse videntur atque legentium post tot saecula adhuc animos commovent.

P.O.N. *Quum subit illius tristissima noctis imago / Qua mihi supremum tempus in urbe fuit, / Quum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui, / Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis...*

J.E. Sic in *Tristium* primo libro; ni fallor, paulo inferius scripsisti: *Tot mala sum passus quot aethera sidera lucent*. Neque vero umquam ex ante actae vitae recordatione solacium cepisse videris.

P.O.N. *Qui potueram? Nullum mortuis solacium, neque superest eis Spes, ultima dea, quam vester poeta quondam dixit fugere sepulcra. Exsul vero nihil est nisi mortis imago. Etenim: Quum patriam amisi, tunc me perisse putato! / Et prior et gravior mors fuit illa mihi.*

J.E. Gratias tibi agimus, quod benigne ad rogata respondisti. Faxint dei ut saltem ex poesis tuae fonte, cuius latices adhuc hauriunt posteris, non-nihil tibi derivetur solacii. Vale.

---

<sup>4</sup> Tr. IV,10, v. 1-2.

## *Appendix de recitandis versibus*

Libellus anno saeculi superioris LXVII typis Pontificii Athenaei Salesiani editus est, a Joanne Baptista Pighi conscriptus, de libro Aeneidos VI, quae est catabasis Aeneae.<sup>5</sup> Hoc libello multa continentur scitu digna, praeter luculentum descensus commentarium: verbi gratia de linguae latinae enuntiatione, de Vergilii tibicinibus, quos ajunt, de re nautica veterum, de aliis scriptoribus, cetera; sed in colophonis capite II docemur quomodo versus legendi sint. Quum vero sciam hoc a sodalibus nostris saepenumero postulatum esse, propterea inde haec paucula transcripsi, quibus quaestio brevi significanterque enodatur.

Sequitur ut latini versus ita legendi sint ut nostros legimus, dummodo syllabas longas ne corripiamus, breves ne producamus, neve intentiorem faciamus, quae elatior fuerit. Hic est, quod ad nos attinet, nodus, qui nostris quidem linguis et oribus vix et aegre expediri potest. Nam facile adsuescimus longas brevesque recte enuntiare ac distinguere, sed Romana cantilena abhinc mille quingentos annos obmutuit: quamquam exaudire possumus in Ambrosianis et Gregorianis antiquissimis cantibus. Necesse est igitur ut accentus nostros quam maxime extenuemus, ex quibus abnormis et prorsus alienus rhythmus nascatur, atque ut diligentissime mensuram syllabarum servemus: hoc si fecerimus, ipsos Vergilii versus suo rhythmum, suo quasi sono praeditos licebit audire: quos non est dubium quin haec nostra loquendi consuetudo aliquantulum vexet et vitiet, sed ipsam versus animam, rhythmum dico, sospitatam laetabimur. (pagg. 140-1)

*S c a n d e r e* nihil aliud esse quam versus recitare qui credant, ii quidem toto caelo, ut ajunt, errant. Nempe in scholis Romanis, postquam longitudo et brevitates distingui desitae sunt et intentiores syllabae fieri coeperunt, quae olim elatiores fuerant, discipuli, ut pedes discernere, versus dividere jussi sunt. (pag. 143)

---

<sup>5</sup> J.B. Pighi, *De Libro Aeneidos VI...*, Romae, MCMLXVII.



formaque non taciti funeris intus erat.  
 Femina uirque meo, pueri quoque funere maerent,  
 inque domo lacrimas angulus omnis habet.  
 Si licet exemplis in paruis grandibus uti, 25  
 haec facies Troiae, cum caperetur, erat.  
 Jamque quiescebant uoces hominumque canumque  
 Lunaque nocturnos alta regebat equos...  
 Hanc ego suspiciens et ad hanc Capitolia cernens,  
 quae nostro frustra juncta fuere Lari, 30  
 «numina uicinis habitantia sedibus», inquam,  
 «jamque oculis numquam templa uidenda meis,  
 dique relinquendi, quos urbs habet alta Quirini,  
 este salutati tempus in omne mihi.<sup>8</sup>  
 et quamquam sero clipeum post uulnera sumo, 35  
 attamen hanc odiis exonerate fugam,  
 caelestique uiro, quis me deceperit error,  
 dicite, pro culpa ne scelus esse putet,  
 ut quod uos scitis, poenae quoque sentiat auctor:  
 placato possum non miser esse deo». 40  
 Hac prece adoraui superos ego, pluribus uxor,  
 singultu medios impediante sonos.  
 Illa etiam ante Lares passis adstrata capillis  
 contigit extinctos ore tremente focos,  
 multaque in auersos effudit uerba Penates 45  
 pro deplorato non ualitura uiro.  
 Jamque morae spatium nox praecipitata negabat,  
 uersaque ab axe suo Parrhasis Arctos<sup>9</sup> erat.  
 Quid facerem? blando patriae retinebar amore,  
 ultima sed iussae nox erat illa fugae. 50  
 A! quotiens aliquo dixi properante «quid urges?  
 uel quo festinas ire, uel unde, uide».  
 A! quotiens certam me sum mentitus habere

---

<sup>8</sup> Deos compellat, qui in Capitolio colebantur, ad quos etiam Manlius his uerbis ex Livio: 'Iuppiter optime maxime, Junoque regina ac Minerva, ceterique Dii Deaeque, qui Capitolium aruemque colitis etc.'

<sup>9</sup> Ursa, quae Graecis Arctos dicitur, in quam Callisto Lycaonis filia mutata Parrhasis seu Arcadica dicitur a patria, ubi ejus pater imperium tenuit.

horam, propositae quae foret apta uiae.  
 Ter limen<sup>10</sup> tetigi, ter sum reuocatus, et ipse 55  
 indulgens animo pes mihi tardus erat.  
 Saepe «uale» dicto rursus sum multa locutus,  
 et quasi discedens oscula summa dedi.  
 Saepe eadem mandata dedi meque ipse fefelli,  
 respiciens oculis pignora cara meis. 60  
 Denique «quid propero? Scythia est, quo mittimur», inquam,  
 «Roma relinquenda est, utraque iusta mora.  
 Uxor in aeternum uiuo mihi uiua negatur,  
 et domus et fidae dulcia membra domus,  
 quosque ego dilexi fraterno more sodales, 65  
 o mihi Thesea pectora iuncta fide!  
 Dum licet, amplectar: numquam fortasse licebit  
 amplius; in lucro est quae datur hora mihi».  
 Nec mora sermonis uerba imperfecta relinquo,  
 complectens animo proxima quaeque meo. 70  
 Dum loquor et flemus, caelo nitidissimus alto,  
 stella grauis nobis, Lucifer<sup>11</sup> ortus erat.  
 Diuidor haud aliter, quam si mea membra relinquam,  
 et pars abrumpi corpore uisa suo est.  
 Sic doluit Mettus<sup>12</sup> tum cum in contraria uersos 75  
 ultores habuit proditionis equos.  
 Tum uero exoritur clamor gemitusque meorum,  
 et feriunt maestae pectora nuda manus.

---

<sup>10</sup> Sinistrum usque adeo putarunt omen esse veteres in limen impingere, ingressuris vel egressuris, ut, si fieret, quod tum facturi essent, prospere sibi contingere non posse crederent.

<sup>11</sup> Stella est Veneris, quae ceteras fugare dicitur, quia Solis ortum praecedat, cuius lumen ceteras obscurat; tumque Phosphorus dicitur, Hesperus, Vesper, et vesperugo appellatur, quum Solis ejusdem subsequitur occasum.

<sup>12</sup> Poeta mentionem inicit Metti Fufetii, qui quum Albanos prodidisset, pro praemio morte a Tullo Hostilio rege multatus est, ut narrat Livius (XXVIII): *Tum Tullus: 'Mette Fufeti,' inquit, 'ut paullo ante animum inter Fidenatem Romanamque rem ancipitem gessisti, ita jam corpus passim distrahendum dabis.'* Exinde, duabus admotis quadrigis, in currus earum distentum illigat Mettum: deinde in diversum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhaeserant vinculis membra, portantes. Avertere omnes a tanta foeditate spectaculi oculos.

Tum uero coniunx umeris abeuntis inhaerens  
miscuit haec lacrimis tristia uerba meis: 80  
«non potes auelli: simul hinc simul ibimus», inquit,  
«te sequar et coniunx exulis exul ero.  
Et mihi facta uia est, et me capit ultima tellus:  
accedam profugae sarcina parua rati.  
te iubet e patria discedere Caesaris ira, 85  
me pietas: pietas haec mihi Caesar erit».  
Talia temptabat, sicut temptauerat ante,  
uixque dedit uictas utilitate manus.  
Egredior, siue illud erat sine funere ferri,  
squalidus immissis hirta per ora comis. 90  
Illa dolore amens tenebris narratur obortis  
semianimis media procubuisse domo,  
utque resurrexit foedatis puluere turpi  
crinibus et gelida membra leuauit humo,  
se modo, desertos modo complorasse Penates, 95  
nomen et erepti saepe uocasse uiri,  
nec gemuisse minus, quam si nataeque virique  
uidisset structos corpus habere rogos,  
et uoluisse mori moriendo ponere sensus,  
respectuque tamen non periisse mei. 100  
Viuat et absentem, quoniam sic fata tulerunt,  
uiuat ut auxilio subleuet usque suo.

---